

1590 *sibi spiritus sumere, ut quem absolvat, quem damnet, edoceat, non passurum. Non hæc ad profanos Principes, sed ad Apostolicam tantum Sedem spectare.*

Hæc primo alloquio. Mox ut ad catholicum in Gallia Regem statuendum, cum Philippo in Navarraum foedus percutiat, petunt. Xystus Julio Antonio Sanctorio, Sanctæ Severinæ Cardinali, atque Arragonio negotium committit. Cum iis legati agunt; leges foederis proponunt: ut vigintiquinque peditum millia a Pontifice conscribantur; earum copiarum Franciscus Maria, Urbini Dux, imperator declaretur; augusto mense Rex peditum viginti, equitum tria millia in promptu habeat: Urbinas cum omnibus copiis in Galliam proficiscatur. His scripto exaratis, Xystum subscribere enixe legati flagitant; per eos dies valetudine licet affectum, quo cito res conficiatur, sollicitant, urgent. Pontifex, licet eo usque progressus, tamen adhuc hæsitare, in ancipiti versari: quanti momenti cum Hispanis foedus inire; quantum onus Ecclesiæ ditionibus impendeat; quam cito aurum in ærario summo labore ac studio magnis Ecclesiæ necessitatibus, præsertim vero adversus infideles, collectum, in auras abiturum, secum volutare; pleraque Hispanos magnificare, multa polliceri, verbisque extollere, non re ipsa præstare.

Xysti
pontificis
hæsitatio.

Hispani
foedus con-
tra Hen-
ricum Pon-
tificem pro-
ponunt.

His Baduarii, Reipublicæ oratoris, quo cum omnia communicaverat, officia accedebant. Cogitandum Pontifici vehementer, aiebat, ante quam sese Hispano conjungeret, cui si semel adhæreat, non amplius pedem referendi, gradumque revocandi facultatem habiturum: ab aliis pendere, aliorumque ad nutum suas actiones dirigere, acerbum ac prædurum esse; provincias milite, ærarium pecunia exhauriendum: contra vero in neutram partem inclinando, salutem Galliæ afferrî, pristinoque decori, ingenti reipublicæ christianæ atque Italiæ beneficio, regnum restitui tantum posse. Quis porro (inquit) ambigat, tutius esse fluctus modo sublato, modo subsidentes spectando, ex temporum conditionibus de gravissimis rebus statuere? Difficillima negotia, innumeris difficultatibus ac periculis implicata, sæpius fortunam explicare: a Navarra Rege stemmatis regii Principes, aliosque insignes proceres Gallorum catholicos stare, quos